Fragmentarium

Sequitur de innocentia, circa quam primo ostenditur quod custodienda sit ab omnibus. Secundo
quod maxime ab hiis qui sunt in congregatione religiosa. Tercio tangetur de partibus inno-
centie. Quarto de nocumentis que in religione mali inferunt bonis. Ad primum monet spiritus
sanctus in psalmo: Custodi innocentiam. Salomon: Ne extorqueatur a te. Senec. Ridiculum est odio
Senec. nocentis innocentiam perdere. Ysidorus. Duo sunt circa dilectionem proximi servanda, ut beneficii impen-
Ysid. sione foveatur, et nulla malicia ledatur. Triplici racione conari debemus ad custodiam in-
nocentie. Primo quia facile amittitur; secundo quia ea amissa omnia amittuntur; tercio quia ea servata
Aug. omnia servantur. Facile amittitur, quia facto et verbo et voluntate et omissione. Facto dupli-
citer, et cum bona aliena auferuntur, et cum mala aliis inferuntur. Aug. Omnis homo qui alium
in corpore persequitur, prius ipse in corde sustinet persecucionem cogitacionis. Idem. Nemo lucratur iniustum
lucrum sine iusto dampno. Ubi lucrum, ibi dampnum. Lucrum in archa, dampnum in consciencia.
Tulit vestem et perdidit fidem. Acquisivit pecuniam et perdidit iusticiam, scilicet quantum ad illam partem
iusticie que est innocentia. Idem Aug. Malicia tua ut alteri non noceat si potest, quod autem
Aug. tibi non noceat fieri non potest. ¶ Verbo amittitur innocentia, ut cum aliquis in malum proximi mentitur.
Aug. Fraudator leditur prius et prius dampno innocentie quam proximus dampno pecunie.
In psalmo. Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. ¶ Voluntate innocendi a-
mittitur, ut cum aliquis odit proximum suum. Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Prima Johannis iii.
Qui vero homicida est innocens non est. ¶ Omissione amittitur, ut cum aliquis non subvenit fame
pereunti. Secundum illud Ambrosii: Pasce fame morientem, si non pavisti occidisti. Si innocentia amittitur
omnia bona amittuntur. Amittitur iusticia siquidem cum innocentia amittitur, que est iusticie fundamen-
Tull. tum. Tullius. Fundamentum iusticie est ne cui noceas, deinde ut communi utilitati deservias. Amittitur
ipse deus iusticie dator. Ysa. lix. Iniquitates vestre diviserunt inter vos et deum vestrum. ¶ Si
innocentia servetur cuncta bona servantur. Dum Adam innocentiam servavit, nichil ei nocuit. Nichil
et hodie noceret illis qui innocentiam servant. Ecclesiastici viii. Qui custodit preceptum non experietur quicquam
Aug. mali. Aug. Quid times hominem, o homo in sinu dei positus? Tu de sinu illius noli cadere,
quicquid ibi patieris ad salutem valebit, non ad perniciem. Matthei x. Omnes capilli capitis vestri numerati
sunt. Que videntur nociva innocenti sunt utilia. Ro. viii. Scimus quoniam diligentibus deum omnia
cooperantur in bonum. Innocentia armatura dei est, quam si indueris tu cum tuis in salvo eris.
Job xxii. Salvabitur innocens. Eiusdem iiii. Quis umquam innocens periit? Item innocentia
vestis est sine qua nullus intrat in celum. Psalmus. Quis ascendet in montem domini aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens manibus et cetera. Hanc vestem nec debemus ferre ante iudicem, ideo hanc latro infernalis
conatur nos ea spoliare. Hac veste spoliatus est descendens de Iherusalem qui incidit in latrones,
Luce x. Quod maxime custodienda sit innocentia ab hiis qui in religione sunt. viii.
Multiplici racione custodienda est innocentia a fratribus qui sunt in eadem religione, ut scilicet cap.
viii. alteri non noceat. Et possumus ad hoc x raciones ponere. Primo requirit hoc dei familia-
ritas. Eorum est maxime deo adherere pro quo omnia reliquerunt. Si eum deum amittant, omnia amise-
runt. Ad hoc vero quod perfecte deo adhereant, multum valet innocentia. Psalmus. Innocentes et rec-
ti adheserunt michi. Unitate voluntatis maxime adheret quis deo. Voluntate vero unam cum
deo habemus, si irascibilis sit sine pravitate et concupiscibilis sine cupiditate. Primum facit innocen-
tia, secundum facit rectitudo. Innocentia adversatur malignitati, que est appetitus alieni mali.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.16, 5v – Humbertus de Romanis (Pseudo-), De eruditione religiosorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tcef/5146/49215)